



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.DC.LXVIII. S. P. N. Benedicti. M.C.LXXXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

animum corpuscolorum maceratione & castigatione sese Numini maclat & sacrificat Institutio & Congregatio praefata, & ut sperandum, tantum denique proficiet, ut communi Catholicorum Principum consensu, in execrabiliorē omnium Hæresum ab ipsis Ecclesiae exordijs pestilentissimā luem solidior absque ullo periculo innocentium & inquisicio instituat & executio, ne infinita & innumerabilis innocentissimorum liberorum multitudo, ex pacto cū Cacodæmone inuito in ejusdē sceleris tracta exitū usque & usque idem in alios propagando, vel quos sibi adungere desperant, inexplicabili tormentorum saevitiae excrucient, sive profus immanissimè è medio tollant, omnemque & coeli & terræ benedictionem suis maleficis avertant. quarum calamitarum omnium promotores praecipui sunt, qui Inquisitioni Legitimæ & cautæ, sive respectu suorum, vel metū sumptuum, contra tam expressum *DEI* ipsius mandatum: *Malefici non pateris vivere*, Maleficis contra Numen ipsum, & tantas *DEI*, & universi humani generis injurias patrocinantur, ut mirum omnino sit, non illico è caelis fulminari, quibus cūm Justitiæ administrandæ incumbat cura, non vereantur in tam manifesto mortalium periculo in tollenda tam pestilenti sibi totique humano generi lue, & *DEI* juratissimis hostibus communi consilio exscindendis; cūm ad hoc ipsam tam expresso *DEI* mandato teneantur, & corā hoc ipso centenorum millium seductorum & deinceps seducendorū rei de facto habeantur, utiq; pertinente ad se flagitio etiā post mortē suā ad usque finē saeculi in parem damnationem trahendorum. Ut proinde tantō plus debeat afflictissima Christiani Orbis necessitas tā piè affectis erga Venerabile Sacramentum ejusque deprecandis injurijs, quantō resentire magis optimus quisque debet, adeo infanda & detestanda ab ullo Christiano dissimulari, imo dissimulando promoveri.

REDIVIVUS proinde in his Benedictinis Virginibus Priscus ille Maleficorum triumphator Magnus Pater *BENEDICTUS*, per seipsum etiā hodie adversum maleficos rem fortiter agit, innumerabilia passim recentissimis & prodigiosissimis beneficijs maleficia

concessā sibi singulari à Numine potestate tollit, ita ut vel sola certis signata characteribus Benedictio, & chartis impressa, arboribus appensa, ædibus, agris, vineis inserta, jumentis in pabulo praebita, ingentia prorsus mala avertit, pecora curaverit, fruges & fructus conservaverit; uti oculatissimorum religiosissimorumque virorum oculatorum testium fide edocti sumus: & verò etiam quotidie experimur, ut Thaumaturgum hunc tantis & quotidianis miraculis *REDIVIVUM* se comprobantis nunquam satis miremur & deprecemur, & verè *BENEDICTUM* à tanta Benedicendi gratia & virtute Benedictionis in omni necessitate, & vel maximè contra tot maleficorum conjurata odia, & cacodæmonum tentamenta devotissimè exoremus, tantiq; Patris Benedictioni & tutelæ, nos ipsos, agros, vineas, ædes, cellaria promptuarum omnia nostra quàm devotissimè commendemus, & vel maximè tot innocentium parvulorum, à tot hostium salutis animæ & corporis insidiantium, technis, persuasionibus, & insidijs innumerabilibus cautū misericorditer velimus, Tanto tamque benefico Patri ejusque protectioni, in genere & specie eosdem committendo, ut à tantæ seductionis & maledictionis periculis praemuniantur, & eximantur.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXVIII.

S. P. N. Benedicti. M. C. LXXXVIII.

Intercepit medios rerum maximarū, aternisq; laudibus dignissimarū conatus mors praematura Reverendissimi & Celsissimi Principis ac Domini Domini Matthæi Ferdinandi Archiepiscopi Pragensis meritissimi, Praelati omnibus numeris absolutissimi, viri cujus uti electione latificatus est Ordo Benedictinus universus, ita extinctione merito ingemens luxit. Certè magnum illum Antecessorē suum S. Adalbertum ut singularem sibi Tutelarem elegit, ita per omnia sibi imitandum censuit, omnique animi adnitu ad reformandam suam Archidiececesim incubuit, non tā redivivus copiosis, quàm lucris intentus animarum, pro quarū salute se totum impendere & expendere gestiebat. Pontificem indurus, Monachum nunquam exiit, sed tanto ferventior in perfectionis studio fuit, eā

S s z

vita

*Matthæus
Ferdinandus
Archiepiscopus
Pragensis.*

vita & animi puritate, ut ad primæ vos Ordinis fructus respiceret, & quæ sanctissimi quivis ex Ordine assumpti Pontifices in se susceperant, haud impari zelo ac fervore aggrediretur, Monachicarum Regularum, frugalitatis, & demissionis ubivis memor, nihil ut in ipso, quod mundi spiraret genium, appareret. Illud fixissimum in animo habuit, quod & mihi insinuare dignatus est, allaboraturum se pro virili esse, ne priscis electis ex Ordine Episcopis indignior haberetur, & si cederet vitæ gratia, conatu tamen quanto posset industriam suam comprobaret. Hæc ex summa animi demissione, quam sexcentis signis prodidit, firmissimo per hanc jactō Virtutum omnium fundamento. Nec dubiū tam synceræ mentis candorem Numen respexisse, tamq; sanctam Archipræfulis hujus intentionē, pro ipsa executione operis acceptasse, & quasi emeritum ad præmia vocasse, cum adeo pramaturè tantis ipsam laboribus præriperet haud impari tamen Martyrum patientiâ, ut hæc quoque ipsâ Tutelari suo & Regni Divo Adalberto propior accederet, prius donaret. Accidit infelici chyrurgi manu, ut phlebotomia minus succederet, & vena vel penitus dissecta, vel gravius læsa, brachiū nimiooperè intumesceret, ex quo dolores prorsum intolerabiles & irremediabiles successere, in quibus patientissimè tolerandis ad mortem usque sui ipsius victor extitit; donèc victricia in cœlis præmia mereatur: Reliquit Ordini mœrorè magnum, nec minorem tamen gloriam, inter spectatiora ejus sydera obscurissimâ hæc ætate numerandus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXXIX.
S. P. N. Benedicti. M. C. LXXXIX.

Cœlum ipsum recreat Redivivi in amplissimo Galliarum Regno, & vicinis Regno provincijs, Burgundia & Lotharingia, miraculum, tot facrarum Amazonum non minus quàm virorum, de carne, mundo, & diabolo adeo gloriosè triumphantiū, cujusmodi non pauca paulo antè, sed jam cœlo receptorum retulimus, multo autem plura superstitum referre possemus, sancto autem rubori eorumdè parcimus, & DEI gratiam in illorum gloriosissimis pugnis veneramur, glo-

riam deprædicamus. Et revera Mons Martyrum, Vallis Gratiarum, suo dignissima nomine Monasteria Parisios supra omnem aliam Majestatis Regiæ Urbis amplitudinem, populorum frequentiam, Palatiorum magnificentia valorem suum Numini ipsi commendarunt, ut nihil de Sanctorum Vitoni & Hydulphi, nihil de S. Mauri amplissimis Congregationibus, nihil de Calvariensibus, nihil de Venerabilis Sacramenti monialiū amplissimis cœtib; nihil de Pœnitentiariarū aliarumq; monialiū prodigiosis planè exemplis memoremus, ut ad me indubitata fidei, minimè testis ambitiosus, nedū temerarius, confidentius & syncerius scriberet: *haud florentiore in statu Gallias Magnū illū Admirabilis Patris & Patriarche BENEDICTI discipulum Divum Maurum ad supera raptum reliquisse, quàm hodie cœlo descendens, Visitationemque instituens, idem Ordinis Sanctissimus Institutor sit reperturus*: Regijs tenellulis puellulis, vix minora Magno Antonio tentantibus, imo si per Superiores liceat, præstantibus, ut merito omnes evanescant excusationes in peccatis, temporibus nostris tanti rigoris Regularū non quadrare cum Dictatoris Regularū unici simul vires optumæ debilium voluntati largientis non attendunt; sed tepidis suis, imo nullis conatibus omnia metiuntur, atque utinam, teste Numine apud Venerabilem Annam de Bois, non mentiantur.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXX.
S. P. N. Benedicti. M. C. XC.

REDIVIVI in se Patris BENEDICTI, filiam quàm simillimā Sponsam singulari torquis aurei & monilis incomparabilis pignore obligatā, hoc anno ad nuptias rapit Agni immaculati effusum in terras cœlum, & Virginum sponso sistit Venerabilem Mariam Joannam Bonhomiam, Virginum suæ ætatis miraculum, Sydus Italiæ, imò Ordinis Benedictini universi longè illustrissimum, quod ipse bonorum omnium auctor & opifex ad limā exquisitissimæ suæ voluntatis ita eliminavit, ut dignissimū diademate suo effecerit, haud minus splendide gemmā illā, quam dono Virgini dederat, expolitum, nec minore splendore fulgidum: Talis Joanna nostra fuit

Ven. Maria
Joanna de
Bonhom.